

quia ipse metus irritat contractum, et ideo operari non potest ad alias irritationes impediendas. Respondeo primo illam irritationem esse accidentariam ad id de quo agimus; nam, licet daremus metum non irritare matrimonium, nihilominus matrimonium inter consanguineos metu factum esset irritum. Et ita ibi interveniunt duo impedimenta, ut recte notavit Sanci., libr. 7 de Matrimonio, disp. 5, n. 4. Et declarari potest ex opinione dicentium matrimonium contractum ex metu gravi illato non solum ad contrahendum sed etiam ad consummandum, non irritare matrimonium, ne vertatur in damnum quod pro favore concessum est; nam illi, ut existimo, non concederent matrimonium inter consanguineos fore validum, licet fiat ex metu gravi illato ad contrahendum et consummandum. Neque post Concilium Tridentinum dici potest validum fore matrimonium factum sine paroco et testibus ex timore simili, ut bene etiam docet Sanci. supra; ergo tota ratio est, quia metus gravis non sufficit impedire efficaciam legis irritantis.

10. *Metus minuit libertatem, irritationem vero non impedit.* — Diluitur prima obiectio. — Denique ratione sic declaratur retorquendo objectionem factam, quia metus de se solum minuit voluntatem et libertatem; at hoc impertinens est ad impediendam irritationem actus quæ per legem fit, quin potius de se iuvat ut magis irritet, quia lex non favet his violentiis, sed potius resistit illis. Item magis impedit voluntarium ignorantia quam metus, et nihilominus ignorantia non impedit irritationem; ergo nec metus impedit. Dices recte probari metum per se et ex vi intrinseci effectus non impedire irritationem, nihilominus tamen propter vitandum gravissimum damnum mortis posse impedire, quia lex humana non obligat cum tanto rigore, et ideo, licet prohibeat et irritet actum, si imminet gravis mortis metus nisi fiat actus, non obligabit humana lex, nec impedit quominus valide fiat. Respondeo aliud esse considerare legem quoad prohibitionem actus, aliud quoad irritationem. Nam quoad primum fieri potest ut metus excuset a culpa faciendi actum contra legem, saltem ex ea parte qua est contra humanam legem, ut patet si quis ex timore profiteatur ante impletum annum probationis, vel si contrahat exterius cum affine ad vitandam mortem; tunc enim probabile est non peccare contra prohibitionem Ecclesiæ, quidquid sit, an peccet contra sacramenti reverentiam, quod ad præsens non refert. Quoad

aliam vero partem irritantem, non est necesse ut legis efficacia impediatur, quia illa non pendet ex culpa quæ ibi committatur, ut dictum est: neque est necessaria validitas actus ad vitandam mortem, quia per comminationem mortis non cogitur aliquis nisi ut faciat quod in ipso est; non enim ipse irritat actum, sed lex: ergo nulla est ratio cur tunc cesset efficacia legis.

11. *Obviatur alteri objectioni.* — Urgebis, quia interdum potest esse necessaria validitas actus ad vitandam mortem comminatam, ut si quis metu cogatur ducere consanguineam, et statim consummare, tunc valor contractus necessarius est ut possit matrimonium consummari sine peccato mortali. Respondeo metum mortis posse excusare ab obligatione legis humanæ, quæ ab illa nascitur, non tamen excusare ab obligatione legis naturalis, quæ nascitur, præsupposito aliquo effectu legis humanæ, quem effectum non potuit metus impedire, quia non pendet ex hominis voluntate. Ut, verbi gratia, si quis simoniam committat circa rem consecratam ex institutione Ecclesiæ, non excusabitur propter metum, neque etiam si injustitiam committat, vendendo rem ultra taxam legis. Sic ergo in præsentem non excusatur quis in eo casu ratione metus, quia revera per illum non inducitur ad agendum contra legem Ecclesiæ, sed ad committendam fornicationem. Per legem enim Ecclesiæ immediate fit ut hæ personæ sint inhabiles, ut idem Concilium ait, quæ inhabilitas non est in potestate hominis ut per metum auferatur: hinc vero consequenter fit ut copula inter personas sic exterius contrahentes semper sit fornicaria, et ideo cum quis ad illam cogitur, non inducitur ad agendum contra legem humanam, sed contra naturalem, et ideo metus talis non excusat. Quod si inquiras unde constet Ecclesiæ tam absolute imposuisse illam inhabilitatem ut non cesset etiam in tanto discrimine, et quæ ratio hujus rigoris reddi possit, respondeo id constare ex sensu et usu totius Ecclesiæ, et communi consensu doctorum; ratio vero est, quia esset contra efficaciam et finem ipsius legis hujusmodi exceptionem in ipsa ponere vel admittere; maxime cum illud periculum sit valde remotum, quod a lege non debuit considerari; nam inde sumerent homines occasionem inveniendi hujusmodi metum circa usum qui sine transgressione prioris legis irritantis licite fieri non potest, ad legem ipsam eludendam.

12. *Tertia obiectio.* — Sed instabis, nam in-

terdum aliquis incutit alteri hunc metum, ut ex nullitate actus commodum reportet, cum magno alterius detrimento, qui per violentiam cogitur ita facere actum; videtur ergo tunc alienum a ratione ut lex faveat illi qui injuriam infert, in damnum illius qui injuriam patitur; favebit autem si is qui infert alteri injustum metum obtineat nullitatem actus quam ipse inique intendit, et alteri injuriam passo perniciosa esset. Exemplum esse potest in testamento minus solemnibus, si per metum gravem quis cogatur in suo testamento non servare solemnitate requisitam ad valorem ejus, ne transeat hæreditas ad eum quem ipse vult instituere, sed ad alium, et fortasse ad ipsum qui incutit metum. In eo enim casu consequetur ille iniquus, virtute legis, quod inique intendit, si actus non sit validus, quod videtur absurdum. Item solemnitas illa introducta est in favorem testatoris, ut tollantur occasiones defraudandi mentem ejus, ergo non debet ita servari ut redundet in ejus incommodum, juxta regulam juris 61, in 6: *Quod in alicujus gratiam conceditur, non est in illius dispendium retorquendum*: ergo in illo casu non operabitur suum effectum. Et idem erit quoties metus redundaverit in fraudem legis, seu contra finem ejus. Respondeo hæc omnia nihil obstare quominus actus ille sine legis solemnitate factus invalidus sit, quia caret substantiali forma sine qua subsistere non potest. Et quod per iniquitatem et injustitiam illa privetur parum refert, quia nullitas formaliter provenit ex carentia formæ, accidentariumque est quod ab hac vel illa causa proveniat. Nec lex cooperatur ad alterius iniquam vim, sed illa non obstante effectum suum operatur, quia ita expedit communi bono. Et ideo etiam non consideratur privatum incommodum hujus vel illius personæ, quod per accidens sequitur, et non potest semper a lege impediri. Et ita non procedit tunc regula juris citata, quia cum proportione est intelligenda, vel quando aliquid conceditur propter privatum commodum et respectu ejusdem cessat, vel quando erat propter commune bonum, et regulariter cessat, et in commune dispendium convertitur. In illo tamen casu particulari manebit qui injuriam intulit obligatus ad restitutionem damni illati, tam in conscientia quam in exteriori foro, si metus et injuria in illo probari possit.

13. *Nihil obstare quominus lex suum habeat effectum quoad irritationem, quando is cujus interest cedit juri suo ob commune bonum.* —

*Idem est de solemnitate matrimonii cum testibus, sicut et in matrimonio metu contracto.* — Atque hinc ulterius constat quid de tertio membro dicendum sit, scilicet, an hæc irritatio cesset quando is cujus interest cedit juri suo. Dicendum est nihil hoc referre, vel obstare quominus lex effectum suum operetur. Et ratio a priori est, quia lex respicit commune bonum in tali irritatione, et hoc non cessat etiamsi privatum incommodum per cessionem personæ voluntarie cessare videatur. Nec potest quis renuntiare aut derogare communi bono, cedendo proprio, sicut non potest quis renuntiare privilegio communitati per se primo concesso, et sibi ratione totius corporis communicato, ut late dixi lib. 2 de Jurament., cap. 23, in princip., et cap. 26, n. 6; talis ergo cessio in præsentem casu frivola est et nulla, unde non potest irritationem legis impedire; quod etiam inductione ostendi potest in utroque modo irritationis supra posito. Nam, licet testator dicat se cedere juri suo, et velle ut testamentum sine debita solemnitate sit validum et efficax, nihil efficiet, ut nunc suppono, et videtur esse extra controversiam quoad valorem testamenti, ut tale instrumentum est, etiamsi de efficacia voluntatis ad dandum dominium in conscientia sit controversia, quæ nunc tractanda non est. Magis vero indubitatum est in solemnitate præscripta per Concilium pro matrimonio contrahendo; nam, etiamsi contrahentes maxime velint cedere juri suo et aliter contrahere, non poterunt, etiamsi ex tali contractu in tali casu nullum sequeretur incommodum, quia generalis lex hoc non considerat. Idem est de lege irritante matrimonium metu contractum; nam, licet is qui metum patitur velit cedere juri suo et valide contrahere, ut possit licite consummare et sic mortem evadere, non poterit, ut verior habet opinio, quam recte tractat Sanci., l. 4 de Matrim., disp. 48, a n. 13; quia ita expedit ad commune bonum per legem illam intentum, et quia formalis dispositio legis et ratio ejus semper subsistit, etiamsi persona illa particularis velit cedere juri suo propter vitandum privatum incommodum, quod lex non considerat.

14. *Objectiones.* — Sed objici potest, quia lex postulans annum integrum probationis ad validitatem professionis generalis erat ante Concilium Tridentinum, et tamen poterat aliquis cedere juri suo, et cessabat irritatio: ergo idem erit in quacumque simili lege, quamdiu ipsa expresse non excludit hanc facultatem cedendi juri suo, expresse disponendo, ut tale jus non pos-



sit renuntiari, sicut nunc in illo casu dispositum est per Tridentinum, sess. 25, cap. 15 de Regular. Deinde objici possunt jura canonica et civilia, quæ dicunt sustinenda esse jura contra leges civiles irritantes, quando sine dispendio animæ impleri possunt, juxta cap. *Cum contingat*, de Jur. jur., cap. *Quamvis*, de Pactis, in 6, Authent. *Sacramenta*, c. Si adversus venditionem. Supponunt enim hæc jura posse aliquem cedere juri suo, etiam contra legem irritantem, et ita licite implere quod juravit: ergo tunc cessat irritatio legis per renuntiationem proprii juris. Et ratio est, quia hæc leges sæpe continent privatum favorem, cui unusquisque renuntiare potest, cap. *ad Apostolicam*, de Regular.

15. Ad priorem partem respondeo illam legem antiquam non fuisse simpliciter irritantem, sed sub illa conditione, nisi utraque pars, scilicet, novitius et conventus, cederet juri suo, seu libere consentiret in professionem ante factam. Unde nec lex illa continebat absolutam prohibitionem ut professio antea non fieret, sed tantum sub eadem conditione; nec erat nunc posita primario propter bonum status religiosi absolute, sed in commodum contrahentium, et dependenter ab eorum renuntiatione. Quæ omnia manifeste colliguntur ex cap. *ad Apostolicam*, de Regular. Imo ibi significatur tunc aliquo modo fuisse prohibitam illam renuntiationem, non simpliciter, sed ne passim fieret vel ne indiscrete admitteretur talis renuntiatione anni probationis, *qui in subsidium fragilitatis humanæ nascitur institutum*. Itaque illa lex non erat irritans, vel non erat ex illis de quibus nunc loquimur, quia nec dabat formam substantialem contractui, sed præfigebat tempus, nec prohibebat absolute contrarium, sed cum certo modo. Concilium autem Tridentinum absolutam legem prohibentem statuit, et clausulam absolute irritantem addidit, et ideo jam non est locus renuntiationi proprii juris, etiamsi hoc ipsum Concilium non expresserit. Unde potest potius retorqueri argumentum, quod, ubi lex dat formam absolute præcipiendo vel prohibendo, et irritando simpliciter actum, non habeat locum privata renuntiatione, nec actus nullitatem impedire debet.

16. Tunc vero occurrit altera pars in objectione posita, circa quam institui posset longa disputatio de vi et modo obligationis illarum legum, et quomodo juramentum quodammodo contra illas prævaleat. Sed quia de hac re disputavi late in tract. de Juram., l. 2. a cap. 20, ideo breviter dico imprimis leges illas non esse

simpliciter prohibentes, sed tantum pure irritantes, imo nec absolute irritantes, sed quasi sub conditione, nisi ille ob cujus favorem latae sunt juri suo renuntiaverit. Est enim magna differentia inter legem simul prohibentem et irritantem, et pure irritantem: nam prior non solum irritat actum, si fiat, sed etiam prohibet ne fiat, et ita regulariter talis lex non fertur in favorem privatorum, sed intuitu communis boni, et ideo nihil conferre potest ad impediendum effectum ejus renuntiatione privata personæ. Et patet, quia illa renuntiatione non potest impedire quominus peccatum sit facere actum contra legem prohibentem absolute, quia voluntas privata non potest facere ut lex prohibens non obliget; neque respectu obligationis legis habet locum renuntiatione: ergo neque respectu irritationis habere potest locum aut vim, quia non est verisimile legislatorem voluisse irritationem facere tantum sub ea conditione, prohibendo actum sine conditione. At vero lex pure irritans non prohibet actum absolute, sed fertur in favorem privatorum, cui possent ipsi renuntiare. Et ideo dixit Panormit. in c. *ad Apostolicam*, de Regular., quod lex cujus favori renuntiare quis potest, non tam est prohibitio quam exhortatio, utique respectu illius; nam respectu aliorum potest continere vim prohibitionis, sicut de privilegio dicimus non habere rationem legis respectu ejus cui conceditur, sed respectu aliorum. Tales ergo videntur esse illæ leges; nos autem de legibus prohibentibus et irritantibus absolute loquimur. Quod si fortasse leges illæ continent absolutam irritationem (ut est probabile), dicendum est non impediri irritationem talis actus per juramentum, sed sustineri effectum ejus, qui non erat per legem prohibitus, et ita formaliter et in se non confirmari actum, per legem absolute irritatum, propter renuntiationem privatæ personæ, sed solum virtute formari alia via sustinendo eundem effectum, ut in dicto loco latius tractatum est.

## CAPUT XXIII.

UTRUM IN LEGE IRRITANTE ACTUM IPSO FACTO ET ANTE OMNEM SENTENTIAM HABEAT LOCUM EPIIKIA.

1. *Ratio dubitandi.*—*Aliquos affirmasse epikiam sufficere ad matrimonium sine testibus in necessitate, ubi promulgatum est Tridentinum.*—Ratio dubitandi est, quia interpretatio voluntatis legislatoris videtur posse habere locum in

legibus irritantibus non minus quam in prohibentibus tantum, vel præcipientibus: ergo poterit cessare irritatio per conjecturam mentem legislatotis, sicut cessat obligatio. Probatur æquiparatio, quia, sicut lex generaliter prohibens potest in particulari casu non solum non esse utilis, sed etiam nocere, ita etiam lex irritans quatenus talis est; seu (quod idem est) sicut in priori lege potest cessare ratio legis in particulari, non solum negative, sed etiam contrarie, ita etiam in lege irritante, ut si ex irritatione contractus hic et nunc sequantur absurda intentioni legislatoris contraria. Accedit quod hæc ratione multi jurisperiti docent, legem annullantem actum in favorem alicujus non sortiri effectum, si irritatio in ejus nocuumentum cedat, quia tunc cessat ratio legis contrariæ, quia vertitur in damnum quod propter commodum fuerat concessum, et ita est contra intentionem legislatoris et contra regulam juris supra citatam. Quod tradit absolute Felin. in cap. *Tuis*, de Testibus, n. 1, cum Roman., cons. 32, dicente, alienationem factam a minori, quamvis annulletur per jus, sustineri nihilominus, si in utilitatem minoris cedat. Sic etiam dixit Navar., Comment. de Regul., n. 32, contractum factum a religioso sine licentia Prælati, licet per se non valeat, si tamen cedat in utilitatem religionis, sustineri, quia in ejus favorem irritatio facta est. Atque eodem fere modo idem Navar., in Comment. de Alienat. rer. Ecclesiasticarum, a n. 15, dicit alienationem rerum ecclesiasticarum, non servata forma Ecclesiæ et contra legem irritantem factam, esse validam si est utilis Ecclesiæ et in ea servatur forma jure naturali debita. Idemque dicit de electione facta contra formam juris. Denique ex hoc principio aliqui ausi sunt dicere per epikiam posse nunc aliquando valere matrimonium inter catholicos factum sine parcho et testibus, etiam in locis ubi est Concilium promulgatum, scilicet, in casu extremæ necessitatis, ubi non adest parochus, et periclitatur salus æterna hominis concubinari agentis animam, nisi prius matrimonium cum concubina contrahat, et necessitas etiam magna urgeat ut filii legitimi efficiantur.

2. *Mens auctoris negativa, moraliter loquendo.*—Nihilominus censeo in legibus irritantibus, quæ vel formam substantialem humanis contractibus præfigunt, vel absolute prohibent actus quos irritant, non esse admittendam exceptionem quoad irritationem actus per epikiam, moraliter loquendo. In his enim rebus quæ ex variis circumstantiis pendent, vix po-

test tam universalis regula constitui, quæ non patiat aliquam exceptionem, si fingendi et excogitandi casus detur licentia; et ideo moraliter loquimur de humanis rebus, prout secundum ordinarium cursum contingunt, et sic dicimus actum irritum per legem simpliciter et absolute, non posse unquam valide fieri contra verba legis, per solam epikiam. Probatur primo, quando lex inducit substantialem formam, quia in nullo casu potest res subsistere sine tali forma: ergo in nullo etiam casu potest irritatio cessare, quæ oritur ex defectu talis formæ. Dices non subsistere rem tunc sine forma substantiali, sed desinere formam illam substantialem esse, sicut si in ea dispensatum esset. Sed contra, quia forma substantialis cum constituat rei essentiam debet esse semper eadem, quoad fieri possit; debet etiam esse immutabilis in suo ordine, ita ut saltem solus ipse illam mutare possit qui illam instituit. Et hæc ratione dicimus nullum præter Christum Dominum posse facere ut sacramentum sine substantiali forma valide fiat, neque in hoc admittitur epikia, neque dispensatio per alium quam per ipsummet Christum: ergo idem cum proportionem dicendum est in omni forma substantiali per legem introducta.

3. *Ratio de omni irritatione.*—Secundo, de omni irritatione prohibente actum est efficax ratio, quia lex irritans voluntatem ad actum aliquem, inhabilitat personam, vel simpliciter, vel ad contrahendum nisi juxta formam legis, sicut in principio capituli præcedentis declaratum est; sed inhabilitas per legem inducta non potest restitui per modum epikiae, quia epikia ad summum potest conducere ad excusationem obligationis: ad dandam autem potestatem quam homo non habet, aut restituendam ablatam, non sufficit, quia ad hoc requiritur positivus actus qui tunc non fit, nec a superiore, nec ab aliquo qui vim habeat restituendi potestatem ablatam vel auferendi inhabilitatem inductam. Nec cogitari potest quod per se cesset inhabilitas, vel quod sub ea conditione inducta sit, ut in casu necessitatis auferatur vel quasi suspendatur; id enim est veluti contra naturam inhabilitatis absolute et sine restrictione inductæ; est etiam contra morem talium legum, quoties talem inhabilitatem simpliciter inducunt, ut patet de inhabilitate ad contrahendum cum consanguinea in gradu prohibito, quæ in nullo casu cessare potest sine dispensatione.

4. Et hæc ratione dicunt communiter doctores personam inhabilem ad matrimonium